VIRO DOCTISSIMO ac CELEBERRIMO
Joh. Georgio Walchio
Antonius Franciscus Gorius S. P. D.

Eo tempore, utinam diuturnum fuisset, quo vidi Lectissimos atque eruditissimos Filios tuos, quibus salutem plurimam dico, et hospites ad Te iam venisse non vanus augur laetor, Te cogitabam, et praesentem intueri mihi videbatur Virum toto orbe Celeberrimum. Nunc quanta sit, et quam admirabilis humanitas tua, quam etiam praenuntiabant Filii tui, qui me complexi sunt, probe intelligo, ex tuis longe mihi carissimis litteris. Te igitur, unaque Tecum sobolem tuam quae virtutem, et doctrinam tuam tam adamussim refert colam et suspiciam quoad vixero, et pro tuis in me collatis officiis immortales ago gratias.

105v

Commendo tibi et filiis tuis omnigena
eruditione excultis meum baccellarium.
Dic, ut ad me aliquid scribant. Quid
parent tecum in ornamentum
et praesidium optimarum litterarum.
Paro ego Symbolas meas in primo
tomo lucubrationis meae in
ADMIRANDA Herculanensium
Antiquitatum. Commendo meum
Thesaurum veterum Diptychorum.
Vale Vir Celeberrime, et me
totum benevolentia complectere.
Dabam Flor. VII. Kal. Sept.
An. MDCCXXXXVIIII.

Viro Doctissimo ac Celeberrimo
Joanni Georgio Walchio
Philosoph. Professori meritissimo

Jenam.